









1
6
242











THOMÆ BARTHOLINI
ORATIO

In Obitum

Clarissimi Viri

D. HENRICI FUIREN

Medicinæ apud Hafnienses
Doctoris Meritissimi,

Consobrini sui.

HAFNIÆ,
Literis Viduæ PETRI MORSINGII, Reg. & Acad. Typog. Anno CIↃ IↃC LIX.

TH. BARTHOLINI
ORATIO
In Obitum
D.D. HENRICI FUIREN
Medicinæ Doctoris.



Nusitatum candoris virtutisq; omnis exemplum nobis orbiq; subreptum in HENRICO FUIRENIO Clarissimo Medicinæ utriusq; Doctore deploramus, cui justa persoluturi, dolendum ne in publica magis calamitate, qvam privato amici luctu jure dubitamus. Æstimanti enim utriusq; jacturæ, pacis & amicitiæ, fortunæ & virtutis conditionem, illa potior occurrit, cujus damnum est irreparabile, quæq; meliora exempla mortalium animis impressit. Æstuantis quidem belli exempla detestamur, quibus veluti pilæ hinc indè varia fortuna, sed dura semper, jactamur, milleq; miseri involvimur ruinis, cœlo infenso & superis iratis in nostri perniciem conjurantibus, qvum ubique prostent miseriarum argumenta, & velut victimæ homines passim immolentur, ut patriam tandem in patria quæramus, & alia opus sit infelicitate ad istam tuendam infelicitatem. Malorum omnium in bello summam contraxit DEUS scelerum vindex, qvia nostra scelera vindi-

ctam merebantur, & ſuppliciis noſtris acerbæ Numinis iræ litandum erat, quæ tanto urgent premuntq; vehementius, quo ſunt juſtiora: Sed tamen, quia pacis tantum cauſa ex Platonis ſententia ſuſcipiendum, mediis bellorum fluctibus haud dubia ſpe erigimur, quod pace poſtliminiò nobis reſtituenda, aliquando ſit terminandum, quodq; vitiis ceſſit, virtute poſſit revocari. Qvis verò integros illos mores reducet, antiquam conſtantiam & candidam mentem, quibus cum FUIRENIO ivimus nuper exſequias? Vellem nobis blandiri, ſi poſſem, ſi ſeculi iniqvitas pateretur. Prona jam mihi in pejus fides. Mala multa patimur, ſed majora vel experiemur vel merebimur, quia exulat candor, proſcripta ex animis recti veriq; voluntas, in DEUM hominesq; amor, & quidquid deniq; beatos nos reddit & felices, laudare malumus quam imitari. Bellorum finem prævidemus, ſed nunquam vitiorum quæ inſanabilia, quia ferro exaſperantur. Nos igitur publicis his ærumnis irretiti, quibus ſe ſubtraxit præſcia futurorum FUIRENII mens, tantum virum privatim ſed publico quoq; nomine grata in beatos manes recordatione deflemus, quod vitæ tædio inter maxima mala exiſtimaverit vivere, moriq; maluerit natus divinâ, quam didicerat arte, mortales ſervare, quam inter vivos quotidiana funera intueri, & perverſos mores. Utinam eo amico diutius frui licuiſſet, ut tantarum virtutum commercio publicis facilius incommodis ſufficeremus, quibus tantò urgentius premimur, quo acerbior eſt doloris magnitudine amici memoria. Ego tot annorum itinerum ſtudiorumq; comes, ſangvinis vinculo, ſed majori amicitiæ veritatisq; jure obſtrictus, committere nolui, ut beati FUIRENII & in publicum & in me merita, totq; illuſtres virtutes, quibus velut gemmis vita ejus inſigni fulgore coruſcavit, alta oblivione ſacri
vatis

vatis defectu sopirentur. Pauca ex multis libabo, quia cuncta paucis pagellis comprehendere, nec mea tenuitas nec fecunda bonis exemplis FUIRENII vita patitur, in qua sola beatissimæ vitæ habuimus compendium. Plura tamen dicturus sum, qvam voto conceperam. Enimverò, quod si ipsum redivivum quotidiè intueri, & velut in speculo non fictam virtutum maximarum speciem admirari in superstite liceret, jucundius opera hac supersederem. Nunc quia nobis fata Virum inviderunt, penè dixerim, virtutem omnem ex mortalium contubernio cum illo abduxerunt, in hoc erimus facundi, ut præ multitudine excellentium virtutum vel minima dicantur. Nota narrabo, à primis tyrocinii annis consuetudine mihi perspecta, quorum fidem non commendabo Lectoribus, quibus vel FUIRENII virtus, vel nostra fama innotuit, ego insuetus mentiri, ille nec mentientes ferre.

Sicco pede præclaros FUIRENII natales præterirem, nisi & hi inter virtutis argumenta essent, quibus inflammati posteri, ad gloriam concitatiori cursu grassantur. Non terræ filius fuit noster, sed ex familia Asclepiadea satus, Patre Medico consummato sed extra seculi fastum D. Georgio Fuirenio, Botanico & Chymico nulli secundo, Matre verò Matrona incomparabili Margaretha Finchia, summi Medici D. Thomæ Finchii, Avi nostri, filia lectissima. Dies erat XXVIII. formosissimi Maij, qvarto decimo seculi currentis anno, quo lucem primam vidit beatus FUIRENIUS, & primam parentibus laudatissimis, Avoq; Paterno tum adhuc superstiti, Spectatissimo Viro Henrico Fuirenio seniori, spem & exspectationem concitavit, qvam cum ætate egregia pueruli indoles indies exauxit confirmavitq;. Eluxere enim in prima ætate haud obscura indicia, quibus & se tantis parentibus dignum assereret, & sequuturæ vitæ præclarum initium face-

ret. Ab utroq; Avo, rariſſimo & venerando ſenum pari, gravitatem primis annis didicit, à Patre Doctiſſimo literarum ſemina, à Matre, qva nihil inter fœminas ſanctius, cum ipſo lacte pietatem, probitatem cœloq; dignas virtutes cæteras imbibit, ex omnibus compoſitos mores & vitæ integritatem, qvam ſemper ſervavit, laudabili æmulatione expreſſit animo & concepit. Hauſtis domi à ſeveris magiſtris ſtudiorum fundamentis, altius poſteà aliis ſe neutiquam immerſit, quibus ad ornatum potius quam utilitatem eruditi utuntur, ſed qvum artem longam, vitam perbrevem ex Coo intelligeret, ſtatim patriæ Academiæ initiatus, initia meditabatur artis ad quam naturæ qvadam propenſione & parentum exemplo ferebatur. Tantum tamen aliis indulſit, ut lingvis Latina & Græca, ſcientiisq; Philoſophicis, inprimis Matheſi, eſſet abundè ad eruditionem Medicam inſtructus. Et hæc & illa acriter urſit auſpiciis beati Parentis noſtri, in cujus familia per tempus vixit, moxq; morienti adſtitit, & fideli operâ Magni Avi ſui Thomæ Finchii, cujus convictu poſteà & eruditione quotidiè utebatur, deniq; conſiliis D. Olai Wormii Affinis & M. Jacobi Finchii Avunculi, plurimum adjutus, quorum omnium ductu tantùm profecit, ut capacior animus per latiorem orbis campum eſſet explicandus. Itaq; Soram cum Parente noſtro & fratre ſeniore Bartolo Bartholino conceſſit, ut D. Joachimo Burſero Celebri Floræ Amaſio, familiarius innoteſceret. Nunquam eo fuit animo, quo multorum ſtultitia pervenit, qvibus patriæ bona ſordent, & externa qvæcunque ſingulari ſe fuco adornant. Famam & eruditionem magnorum Medicorum, qui ea tempeſtate in patria noſtra eminuerunt, Finckii, Wormii, Arniſæi, Fabricii, Burſeri, Laurenbergii, Foſſii, Paſcaſii, Sperlingii, Severini, Lælii, aliorumq;, ſuſpexit ſemper & ad imitandum ſeriò, nec infelici ſucceſſu elegit.

git. Insigni Parente suo præmaturè orbatus, ab aliis hausit scientiam, qua ad stuporem domi ille abundabat, filioq; eandem insevisset, si mors non intervenisset, magnis inimica conatibus. Posteaquam Soræ Clarissimo Burseri succo victitasset, propter Epidemiam luem, quæ patriam depopulabatur, & Excessum Parentis nostri Caspari Bartholini, ad suos reversus alios soles meditabatur, quibus ulterius inclaresceret virtus domi spectata. Belgium primò adiit, & in florentissima Leidensium Academia, vicinisq; bonarum literarum emporiis, qvatuor annorum decursu universum Medicinæ stadium absolvit. Cadaverum sectionibus apud Adrianum Falcoburgium, nitidum Prosectorem, vacavit, Botanica sub Adolfo Vorstio Flore genio & Polyhistore excoluit, crebrisq; excursionibus inqvilinas Bataviæ plantas collegit, Praxin auspiciis Ottonis Heurnii & Ewaldi Screvelii exorsus, Nosodochium freqventavit, & duce Joanne Walæo Medico subacti judicij singula accuratiori cura percurrit. Subindè Amstelodami summos in arte secandi & medendi Magistros Nicolaum Tulpium & Zacutum Lusitanum audivit invisitq;. Franekeræ nonnunqvam studia sua Menelao Winshemio, notæ famæ Medico, submisit. Trajecti quoq; ad Rhenum, cujus solenni inaugurationi interfuit, Henrico Regio, Reimero, aliisq; raræ doctrinæ Professoribus innotuit. Enchysæ deniq; Paludani Musæum, Naturæ illud Theatrum, curiosis oculis perlustravit. Ubiq; hoc egit, ne locatæ operæ temporisq; pœniteret, ab omnibus quos eruditio Medica evexit, mutuatus est, quod arti suæ sciret profuturum, & ubiq; modestiæ, candoris & insignis doctrinæ famam post se reliqvit. Maturus deindè eruditione & judicio ad Gallos abiit, cultissimam gentem, ut officiosam lingvam amplioremq; doctrinæ proventum sibi compararet. Lutetiæ in scholis Medicorum discendi cupi-

dus

dus freqvens visebatur, in Theatro Anatomico Medicorum & Chirurgorum assiduus erat Dissectorum spectator, privatoq; cultro exta animalium evolvit, in Nosocomiis instructissimis variorum morborum historias vidit & curationes, sub Davisonio Chymico Clarissimo arcana Naturæ ignis artificio sollicitavit & invenit, Hortum Regium variis plantis sub Dn. de la Brosse magnificè nuper instructum, amore Floræ sæpiculè ingrediebatur, & quicquid deniq; ad artis suæ perfectionem ubiq; in urbe vastissima extabat sine tædio viarum aut sumptuum avidissimo animo venabatur. Reliquas Galliæ Provincias eadem solicitudine percurrit, non tam videndi studio, quod plurimis sufficit, qvam ut naturæ varietatem in elegantissimo imperio, & Doctorum de singulis judicia exquireret. Bone DEUS, qvam turpiter hic alii se dare solent, qui terras oberrant, veluti pecora, luxum peregrinum tantum sectantur & ad suos referunt, neglectis præclaris gentium institutis, sola vitia, habitum peregrinum, & peregrinos morbos pro usu patrio mercantur. Rectiùs domi manerent illi, & focum patrium instruerent. Oceanum, ad quem sanctius vivitur, suis moribus inficiunt, & dum alienos errores imitantur, propriæ pœnæ miserè succumbunt. Noster FUIRENIUS ubiq; incorruptos mores servavit. Vitia aliorum vidit multa, sed correxit & exsecratus est, omniaq; præclara amplexus didicit in peregrinatione servare modum. Peccant enim & illi, qui nimis curiosâ diligentiâ per omnia vagantur, quæq; multi scire debent, soli volunt. Non omnia mens humana capit, & omnium intervenire secretis in peregrinatione periculosum. Id per universam vitam FUIRENIUS egit, ut sine ulla Polyhistoris ambitione, sola illa sectaretur modestissimè, quæ maximè facerent ad Medicæ artis complementum. Pluribus illam temperantiam optaremus, qui uni-

univerſum ingenio ſuo metiuntur, & intra diligentiæ ſuæ ambitum conſtringunt. Faſtidientis ſtomachi eſt, omnia Apicij fercula deguſtare, quæ inquinant corpus, non alunt. Ut ciborum, ita & doctrinæ ſuus eſt modus. Nimia eruditio onerat, moderata prodeſt. Hinc, dum omnia nonnunquam nimia ſciendi aviditate ſectamur, quæ neceſſaria ſunt vel negligimus vel non aſſeqvimur. Latè patet Medicinæ campus, per quem decurſurus, caveat ne vel nimijs ſarcinis oneri ſuccumbat, vel ſerius tardiusq; iter aggrediatur. Antiqui amplitudinem artis emendaturi, ut ſingulis pares eſſent, ſingulas partium affectiones ſuis Medicis aſſignarunt. Noſtro ſeculo omnium particularum ſalus uni Medico incumbit, qui vix partibus ſuis ex voto ægrorum defungetur, ſi per varia Criticorum, Hiſtoricorum, Antiquariorum, Philoſophorum, Politicorum, Ictorum, Theologorum ſtudia nimio temporis diſpendio & audaci temeritate fuerit divagatus. In immenſum quoq; crevit Medicorum inter noſtros ſcientia. Anatomes, Botanices & Chymiæ amplitudo, & novorum morborum infelix ortus, potiorem hominis ætatem ſolitariasq; curas requirit. Itaq; accuratum FUIRENIUS cum ſtudiis calculum ſubduxit, & neglectis in itinere quisquiliis ſeriora Medicorum apprehendit. Quo animo ab itinere ſuſcepto ad Montem Pelium deflexit, illuſtre illud Medicorum domicilium, ubi copioſius per campos ſuas opes Flora & ornamenta ſpargit, & in urbis horto luxuriat. Gratâ præſentiâ Fr. Ranchini & R. Bellevali Medicorum in orbe notorum favorem ibidem meruit, & Catellanum celebrem Compoſitionis Alkermes Diſpenſatorem convenit. Marſilia Genoam vectus, per Liburnum, Piſas, Florentiam, & Bononiam, Patavium appulit, quam ſtudiorum optatiſſimam ſedem ſex annorum ſpacio ſibi delegit. In fami-

milia Joannis Rhodij Polyhiſtoris & Medici, maximo Reipublicæ Literariæ damno non ita pridem defuncti, ex cujus familiaritate qvotidiana tantum diſcere potuit, qvantum fruſtra alibi paſſimq; per orbem quæſiviſſet, cum fratre Thoma Fuirenio, Viro Eruditiſſimo, naturæ artisq; Medicæ abditis nocturna diurnaq; induſtria ſe immerſit. Ingentes conatus juvit Joannis Veslingii in diſſecandis cadaveribus dexteritas, & in Creticis Plantis facundia, qvem etiam ad Baldi montes amicum comitabatur. Magna Veſlingij erat fama, & major eloquentia, quam accurata manus comitabatur. Qvum duraturo ad omnem memoriam operi Anatomicas figuras per cælatorem ex vivis cadaveribus exprimendas adjungeret, præter FUIRENIUM noſtrum, me & Leonicenum admiſit neminem. Eodem Joanne Leoniceno, artis perito, præeunte homines animaliaq; privatâ manu FUIRENIUS eviſceravit, & artificioſas venarum, arteriarum & nervorum, magna cura ex unius hominis cadavere exſectorum, tabellas ſtupendo opere exſtruxit, patriæ Academiæ deſtinatas. Chirurgicas Operationes apud Petrum de Marchettis, unicum Aquapendentis diſcipulum ſuperſtitem, manu promptum & conſilio, accuratè perdidicit. Chymiam cum J. Zwelfero, domeſtico tum noſtro, jam benè de Re Pharmaceuticâ merito, recoluit. Conſultatinibus graviſſimorum Medicorum Benedicti de Benedictis, Jo. Dom. Salæ, Benedicti Sylvatici, Jo. Veſlingij, Fr. Frigimelicæ, aliorumq, ſubciſivas horas impendit, & perpetuus Exercitatiſſimi Medici Jo. Dom. Salæ laudati erat comes, cujus ſenis favore & incredibili humanitate ad omnes ægros cum illo admittebamur. Referebat ad Diarium ſingulorum ægrotorum affectiones, cauſas morborum, ſigna, curandi Methodum, remediorum formulas à ſene noſtro præſcriptas, deniq; eventum, qua exercita-

tio-

tione nihil ad rectè feliciterq; medendum utilius, qvum frustrà in universalibus scientia nostra occupetur, nisi in Cajo vel Titio exerceatur. Bibliothecæ interim illustris Nationis Germanicæ cum laude præfuit, resq; ejusdem tantâ prudentiâ, Consiliarij titulo, administravit, ut omnium applausum meruerit, & supremum in Gymnasio Patavino magistratum obtinuisset, si à modestia ejus id impetrare potuissemus. Cæterum gloriæ contemptor maluit honores mereri, quam accipere, & qvanqvam civili abundaret prudentia, eruditioneq; Medica excelleret, nunquam tamen vel inde laudem, vel hinc lucrum ambivit. Sibi maluit privatim vivere & cum sapientia habitare, quam publicæ omnium se invidiæ exponere. Felicius degunt, qui hac animi moderatione vitam qvietam sine ambitu ducunt, verè illi vivunt, nec spiritum ab aliis præcariò trahunt. Honores declinare quos meremur, magnæ opus est prudentiæ, majoris tamen seipsum prudenter sine fastu gerere, & sua felicitate contentum sibi ipsi imperare. FUIRENIUS noster sibi oblatum honorem Naturæ artiq; Medicæ detulit, dum spretis aliorum superbis curis, honorumq; blandimentis unius veri utilisq; investigationi sese unicum addixit, ut sciret penitius naturæ procus, quid sinu interiori condiderit natura, quid amasiis suis aperuerit, quid de naturæ vitijs & morborum incantamentis vel usus probaverit, vel majores tradiderint. Utrumq; in prolixo itinere quæsivit & invenit. Majorum juniorumq; Medicorum placita ex editis monumentis investigavit, quæ tantâ curâ tantoq; delectu passim in itinere & patriæ redditus congessit, ut paucæ in orbe medico huic Bibliothecæ conferri possint. Naturæ varietatem & insolitos morborum casus sedulâ inter itinerum molestias invenit exercitatione. Hac mente animatus, qvum diutius mo-

ram utilem Patavii traxiſſet, reliquas Italiæ urbes data oportunitate perluſtravit. Venetijs Cœcilij Folij Anatomici & aliorum conatus publico dedicatos expendit. Bononiæ, Fortunij Liceti, Philoſophi tum eminentis, poſtea primi in Gymnaſio Patavino, Sala defuncto, Profeſſoris Medici amicitiæ ſe inſinuavit. Ibidem opera Barth. Ambroſini in Muſæum Aldrovandinum admiſſus Naturam variam venerabatur. Florentiæ Magni Ducis Etruriæ officinam Chymicam & alia viſu digna inviſit. In urbium Reginâ Româ benevolè ab Eqvite Illuſtri Caſſiano à Puteo, naturæ & antiquitatis promocondo exceptus, eruditos P. Athanaſij Kircheri, utiles Pauli Zacchiæ, & curioſos Petri Servij labores admirabatur. Neapoli Chirurgorum Principem Marcum Aurelium Severinum, hoſpitem olim noſtrum ſibi demeruit. Inde Veſuvij vidit ignes, thermas Puteolanas, fontes Tiburtinos, & quicquid rarum aliisq; terris inviſum florentiſſima Italia exteris ſolet monſtrare. Omnium ſingulari amore tenebatur & de natura ſollicitus, viſis Imperati Neapolitani & Calceolarij Veronenſis naturæ theſauris, ipſe collegit quicquid hinc inde illuſtre ſpectantium oculos animosq; exſatiat. Digna profectò ſeveris ingeniis diligentia, unde preſſius naturam velut nudam & ſine velo intuemur. Ludunt illi operam, qui Naturam inter Sophiſtarum tricas & diſputationum contentiones quærunt. Monſtrari debent hæc, non diſputari, & ſexcentis Sophiſtarum diſtinctionibus ne culicem æſtate mediâ profligaveris. Peſſimè ſe proſtituunt multi, qui pleno ore de plantis certant, de animalibus diſſerunt, de Metallis commentantur, de natura Rerum litigant, & ſi ad rem ventum fuerit præter olus & aſinos norunt nihil, quia in cerebro naturam formant, & ingenij acumine conſtringunt. Inſpicienda ipſa Natura ut intelligatur,

tur, & ſenſibus inveſtiganda, quæ ſenſibus capiuntur. Ingredere Muſæum FUIRENII, quicunq; Philoſophi nomen inanibus altercationibus ambis, ut Philoſophus egrediaris, diſcasq; , quod ignoras, aliud eſſe naturam noſſe, aliud rationem. Videbis ibi artificioſas oſſium humanorum omnis ætatis compages, nervorum venarumq; ſpecioſas tabellas, metallorum genera, mineralia, terrarum varietates, gummata, lapides ſuis claſſibus per ſpecies diſtinctos, animalia peregrina, monſtroſos piſces, ſerpentum exuvias, lacertos ſquamoſos, inſecta variegata, miras concharum facies & infinita alia Naturæ ludentis miracula, ex quibus ad publicum commodum & ſolidam eruditionem plus erues, quam ex mille libris, aut bis mille diſputationibus. Hiſce in itinere accuratè conquiſitis domiq; poſtea digeſtis, animum verâ Naturæ cognitione imbuit FUIRENIUS & per omnem vitam inſigni voluptate pavit. Hoc Medicæ doctrinæ theſauro, uſu rerum præclararum, ſelectiſſimorum librorum & univerſæ Naturæ copiâ inſtructus, velut amplis ſpolijs, relictâ Italiâ per Parmam, Placentiam, Mantuam, Mediolanum, perq; Alpes invios cum fratre Theodoro Fuiren, illibato illo pectore, Helvetos ſalutavit maſculam & cordatam gentem, inprimis Baſileæ, laude medentium claræ, videndi deſiderio tenebatur. Summa humanitate Medicinæ Proceres, Emanuel Stupanus, Jo. Jacobus à Brunn, Jo. Caſp. Bauhinus, Felix Platerus Junior, junctos nos exceperunt, utriusq; Parentis memoriâ & amicitiâ. Paſſus eſt hic FUIRENIUS noſter ſe exorari, & à ſe tandem difficillimè obtinuit, ut antequam patrios reviſeret lares, exantlatorum laborum & ſolidæ eruditionis Medicæ teſtimonium, ſolenni ritu publicè exambiret. Ab omni faſtu ſemper fuit alieniſſimus, doctusq; maluit eſſe, quam videri. Ne tamen præter majorum conſue-

tudinem ſibi diffidere videretur, hoc mecum elegit Brabeuterium, in quo utriusq; Parentes, Avi & affines lauream Medicinæ ſupremam reportarunt, ubi cum delectu ingeniorum honores digni conferuntur. Igitur Patres Baſileenſes, juſti humaniq; candidatorum cenſores, audita in privato examine FUIRENII in Re Medica eruditione, ad publicas Lectiones admiſerunt, quas diſputationis vicarias, urgente pectoris neceſſitate, data optione elegit. Hydropem Aſciten triduanis prælectionibus in Medicorum Collegio eo eruditæ caveæ applauſu abſolvit, ut qui publicam alioquin lucem de induſtria declinaverat, ſuaſu tamen Clariſſimorum Virorum typis Baſileenſibus poſterorum memoriæ commiſerit. Ita publico conſenſu Doctoralem mitram diribitore Celeberrimo Bauhino in eadem mecum Cathedra jure meritiſſimo Pridie Idus Octobris CIↃ IↃC XLV. obtinuit. Gratulabar impenſè mihi, qvod in partem præmiorum admitterer, qui eruditione rerumq; uſu libenter illi & ex merito cedebam. Senſimus & aliud Doctorum Rauracorum beneficium, quod in Collegium Medicorum adoptati Principibus illis Achivis permiſceremur. Quæcunq; FUIRENIO hic & ubiq; conſignabantur virtutum laudumq; documenta, minora meritis cenſebantur. Laudari ab omnibus virtus, ſatis tamen à nemine æſtimari poterat. Ægrè hinc divulſus, per Solodurum, Bernam, Lauſannam, Genevam, Lugdunum & Aureliam, tandem Lutetiam rediit, difficilimis itineribus hybernis, ubi luſtratis reviſisq; quæ digna videbantur, intimiusq; cognitis quæ ex uſu exiſtimavit, magnam Britanniam magnorum ingeniorum feracem meditabatur. Temporum verò injuria & bellorum civilium tempeſtate ſæviente, in Belgium regreſſus, amicis veteri neceſſitudine conjunctis Vorſtio, Walæo, & conſangvineo Andrea

drea Bickero, Consule Amstelodamensi & Fœderatarum Provinciarum Ordine Illustri, officiosè valere jussis, ad reditum in patriam se mecum composuit. Comite Petro Charisio, cognato nostro honorando, per Frisiam utramq;, Groningam, Bremam, & Cimbriam ad desideratam Matrem & Amicos, ad patriam urbem post decem & trium annorum iter, animo ad rectas spes sublevato properavit. Ingenti doctrinarum & experientiæ supellectile onustus, privatos suos lares redux composuit, sibiq; vixit & amicis. Molestus nemini, omnibus gratus morum integritate & vitæ innocentia ad exemplum stupendæ. Bibliothecam magno passim studio & sumptu collectam erexit, omnium ætatum Medicis instructissimam, & in suas classes ordinesq; disposuit, ut non tam propriis quam amicorum usibus inserviret. Nullum enim ex commodo hujus thesauri usu exclusit, nec canis ad præsepe excubabat. Ipse necessarios per vices & temporum indulgentiam revolvit perlegitq;, ut hausta foris Medicinæ arcana, continuis domi lucubrationibus perficeret. Consulebatur in dubiis rerum eventibus, & librorum usuram omnibus literatis amicè concessit, sed Medicis; Sicut enim reliqva studia arti suæ postposuit, ita nec ullum in Bibliotheca patiebatur librum], qui vel Medicam rem vel Naturalem historiam non complecteretur, Logicorum, Grammaticorum & Criticorum farraginem aversatus. Hoc unum in vita quieta studiosè curavit, ne inutili aliarum rerum vel lectione vel possessione seria interrumperet, & utilia obfuscaret. Ita enim vita potuit æquali & uno tenore procedere, qvam alii propositis diversissimis scindunt. Curas seriores horti urbani cultura interpunxit, Dioscoridis, Theophrasti, Clusii, Bauhinorum studia æmulatus.

Ra-

Rariores plantas & exoticas curiosè collegit, & quotannis conservavit. Et ut corporis falleret imbecillitatem levaretq;, subinde æstivis mensibus in prædio Eberrodiano cum Varrone, Columella, Palladio & Constantino Cæsare rusticabatur. Numerosam ægrorum multitudinem nunqvam ambivit, commissorum tamen sibi curam habuit diligentem. Quanquam enim ad intima medicinæ admissus in artis operibus esset exercitatus, non concessit tamen corpusculi valetudo pluribus vacare. Rogatus nulli operam suam denegavit. Quos angusta res domi premebat, & consilio & ope subvenit. Nec publicis reipublicæ muneribus inhiavit, quæq; in aliis venerabatur, neglexit ipse, non contemptu sed necessario valetudinis prætextu. Publicam illam servitutem magnæ fortunæ declinavit, ubi nihil ex arbitrio nostro nobis licet, sed sæpius opprimit invidia virtutes. Optima cum lare suo secreto ratio constabat, quem legendo & meditando splendidè ornavit, secumq; ea egit, per quæ posteris profuit. Magnificam à se exstructam in fundo paterno domum, Democriti speluncam esse voluit & naturæ collegium, mutis Bibliothecæ Doctoribus refertum, Musæo raris Naturæ operibus mirandum, hyeme exoticis plantis virescens, avibus personans, semper variis experimentis occupatum, amicorum deniq;, quos constanti & incorrupta fide dilexit, eruditis colloquiis sæpissime illustre. Sobrietate vitam fragilem temperabat, sine libra, sed non sine modo vivens. Parcè prandebat, primo semper ferculo parabilis cibi contentus, ne animo nebulas & corpori pravorum humorum materiam offerret. Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, non ratione ducimur, sed consuetudine. Ille verò egregio suo exemplo sine exemplo contentus,
lu-

luxum omnem deteſtabatur. Legis Oppiæ abrogationem truci magis quam Porcius olim Cato oratione inhibuit, nec unquam vehementius excanduit, quam ob conſuetam in conviviis & veſtibus patriæ profuſam licentiam. Cæteroquin mitiſſimo erat ingenio, nullos lædere, ſed nec lædentes ferre. Famæ popularis contemptor, ita ſe tamen geſſit, ut maximâ famâ inter omnes maximos & medioxumos dignus eſſet. Nunquam ſilentio involvenda FUIRENII merita, æterna ſit beneficiorum illius apud cives noſtros memoria, quod in Academiæ ornamentum & civium utilitatem publico teſtamento inſtructiſſimam Medicam Bibliothecam dedicarit, publicis omnium uſibus inſervituram, ſalariumq; illius exauxerit, qui Bibliothecæ curam eſt habiturus. Legatum ſatis æſtimari à nemine poteſt, niſi à ſapiente, cui notum eſt, quanti res tanta ſit taxanda. Præivit olim Petrus Albertius Academiæ noſtræ Rector, & ſumma prudentia apud Majores ſpectatus, qui librariam ſuam ſupellectilem Academiæ primus conſecravit. Crevit numerus clementiâ Auguſtiſſimi Regis Divi CHRISTIANI QUARTI. Quibus ſymbolam contulit Andreas Lymvicus meritiſſimus in Academia Medicinæ Doctor. Majorum liberalitatem in immenſum auxit incomparabilis Epiſcopus Selandiæ, Caſp. Eraſm. Brochmannus, cujus nulla ætas delebit apud nos memoriam. FUIRENII verò Bibliotheca, qvam non Apollinis, ſicut olim Auguſti ævo, ſed S.S. Trinitatis templo conſignavit moribundus, ut ex divinis ingeniorum monumentis, ſurgens mortalium gloria & ſalus in DEI T.O.M. tutela eſſet, primam inter Medicos laudem meretur, quos ingenti librorum rariſſimorum numero ſolos inſtruit. Quidquid ab antiquis Græcis, Romanis & Arabibus præclari in chartas relatum fuit, quidquid medii ævi ſcriptores de re Me-

dica commentati ſunt, quidquid deniq; diligens ſequentium ſeculorum induſtria vel novi invenit, vel ex antiquis inventis ſtabilivit, confirmavitq;, FUIRENIUS collegit, & æternis ſtudioſorum uſibus deſtinavit. Nec in hiſtoria Naturali quidquam deſiderari voluit, quod hactenus quidem ſub incude venit, & ære præcioq; comparari potuit. Defectum publici juvandi promptitudine ſupplevit frater Thomas Fuirenius, cui idcirco immortales gratiæ debentur, quod in omnium ſeculorum cogitationes admittamur, nec ullo pene medico nobis ſit interdictum. Ne verò naturam ex libris ſolis venaremur, inæſtimabili liberalitate ex Muſæo addidit ſecretiſſima Naturæ miracula & oſtenta, quibus colligendis domi foriſq; deſudavit, ſumptusq; neceſſarios ſuppeditavit, quibus & indies excreſcerent, novorum acceſſione, & Medicorum Collegium commodius hoc loco hoſpitaretur. Videmur jam ubiq;, dum in Muſæo Academico verſamur, provida FUIRENII cura locupletato, quod terrarum omnium & aquarum, animalium hominumq; portenta claudit. Quæ fuſa oratione libri adumbrarunt, hic oculis obverſantur, quæq; illi conjecturâ inveſtigarunt, nos palpamus, & cum rerum natura in conſortium omnis naturæ pariter incedimus. Habet hic quo ſe Medicus exerceat, quod tyrones diſcant, quod admirentur omnes, quo nomine tibi, FUIRENI beate, patria univerſa obſtrictam & debendi ream ſe profitetur. Hæc erunt virtutis tuæ trophæa, hæc publica monumenta, quibus nomen æternitati apud nos poſteroſq; conſecraſti. Nec minus illi Reſpublica noſtra Medica debet, quod in Diſpenſatorio Hafnienſi conficiendo præclaram cum cæteris Medicis operam contulerit, claſſesq; ipſi ſorte divina oblatas cum laude abſolverit. Mirum dictu, quanta alacritate ad publicum bonum promovendum

dum excubaverit. Quidquid egit, ſeriò egit, præclaro quodam perficiendi impetu. Sententiam in Collegio Medico rogatus, paucis ſed quibus pondus inerat, rerum momenta expendit. Nunquam verborum quæſivit lenocinia, nec ſermones ſeſamo aut papavere adſperſit, ſine fuco & fallaciis, ſine pompa ulla ſimplici oratione mentem cordatè aperuit. Et quod in illo excelluit, candore omnes mortales ſuperavit, & ſeipſum. Plebeja illa exolevit virtus, & ad rus plurimorum calculis ablegan-da. Felicius tamen ſingulorum ſe fata explicarent, ſi intra domeſticos urbis parietes admitteretur. Neminem ille fallere, & fallentes odiſſe. Cor in fronte gerebat, & pectus apertum, nullis dolis conſutum aut fucatum, omnibus patebat. Nullius unquam famæ inſidiabatur. Submiſit ſe omnibus, tumq; ſe maximum inter amicos exiſtimavit, qvum minimum de ſeipſo ſentiret, nihil ſibi, cuncta aliis indulgens. Infra modeſtiam cætera, quibus gloriari poterat, reputabat. Animo invictus, damna iniquæ ſanitatis ſpartana nobilitate concoxit, nec ullis ceſſit voluptatibus, ut etiam caſtis amoribus licitisq; nunqvam ab ocio ſapientis & animi tranquillitate, cui ſacramentum dixit, potuerit dimoveri. Majum, nativitatis menſem, perpetuo coluit, quo Romani uxores non ducebant. Noluit libertatem ſuam incerto Venereo, &, ſi malè ceciderit, impotentiæ muliebri ſubjicere, quæ ſubinde domi devicta, in foro quoq;, ut ille ait, obteritur & calcatur. Amavit Hippocratem, non uxorem Hippocratis, quæ ſemper quo modeſtè coerceretur opus habebat. Amore interim divinæ pulchritudinis rerumq; à DEO creatarum unicè captus, non damnavit conjugia, ſed aliis reliqvit, poſteritatem ſuam in libris ſuperfuturam ratus, memoriamq;, qvam tanti tamen non putavit, inter amicos & inculpatæ virtutis gloriam apud o-

mnes duraturam. Sècum habitare & vivere, Deo ſer-
vire & amicis, inter maxima felicitatis dona numerabat.
Fortunæ ampliſſimæ bona, pro ſuis non computãs, quia pe-
ritura, cum iis partiebatur, quos vel bona mens commen-
dabat, vel ſocia paupertas urgebat. Benè precantur
alumni, viduæ, Noſodochia, quibus in vitæ ſubſidium ali-
quot mille Coronatis proſpexit. Optimè de Deo ipſo
meritus, cujus Eccleſiis ex ſuo patrimonio, ne migratu-
ro hinc oneri eſſet, devotè legavit ſignati argenti ſum-
mam, velut donarium ſacris aris ſuſpendendum. Ita
officia cum amicis, bona cum egenis, utrumq; cum Deo
diviſit, nihil pro ſuo venditans, niſi infractam vitiis men-
tem, recti conſcientiam & animi conſtantiam, quam in-
ter peregrinationum tædia, inter langvidi corpuſculi in-
jurias, inter ſeculi fatiſcentis perverſitatem, ſemper ſer-
vavit integram. Hac animi beatitudine & virtutum ſa-
tellitio, peritura omnia neglexit, frequensq; cum DEO
immortali commercium exercuit. Primus in templo vi-
ſebatur & ultimus, & Numinis præcepta non ore tan-
tum, ſed, quod divinum, vitâ expreſſit. Immortalia quo-
tidiè meditabatur, & ad æternitatem ſe tacitè compoſu-
it. Minabatur à teneris ungviculis corpuſculi imbe-
cillitas, caſu an ab interna origine, in vitales partes, re-
ſpirationis difficultatem, qvæ per complures annos pe-
ctori compreſſo inimica, creſcente ætate, ſed decreſcen-
tibus viribus, aſthma moleſtum excitavit. Inclemen-
tiores hyemes binæ, patriæ exitioſæ, pectori quoq; il-
lius tam fuerunt moleſtæ, ut arctatis animæ meatibus
vix ſpiritum liberè duceret, quo tandem in patriæ
urbis obſidione & publica calamitate, auctis inju-
riarum aſthmatisq; cauſis, ſenſim intercepto, anni
currentis initio, ætatis verò XLV, inter mortales de-
ſiit

ſiit eſſe mortalis. Nos tibi, beatiſſime FUIRENI, felicitatem, qua cum Patre & fratre Theodoro, heu quondam noſtris, in cœlo frueris, non invidemus, ſed noſtram infelicitatem deploramus, & tui memoriam colimus. Manent in animis noſtris admirandæ dotes, inuſitatæ virtutes, in publicum merita, incredibilis tuus in nos amor, & deſiderium teſtamur. Virtutis omnis in Te vidimus exemplum, nec ſequi poſſumus. Ignoſce quæſo, beatiſſima anima, quod parcius tua, nec pro dignitate ſatis expreſſerim. Vita tota, modeſtia fuit, nec laudari Te æquo animo es paſſus, & dum omnia animo complector, ſub ſingulis hæret lingva, tuis colloquiis aſſueta. Quia verò pietatis meæ extare volui monumentum, ſi in ſingulis penna defecit, univerſa condonabis, & dolori juſto tribues, quicquid meritis tuis deceſſit. Nos interim dum inter æterna ſidera fulges, malis innumeris, quæ effugiſti, ſuccumbimus, ſeculi iniquitate, quam ſuperaſti, premimur, & fato, quod ſpreviſti, debemus ludibrium. Ego & hoc nomine infelicior, quod inter extrema tua ultimum vale forte abſenti non dixeris, quem in itineribus habuiſti comitem, in ſtudiis ſocium, in amicitia parem, ubiq; fratrem.

DIXI.

PRO-RECTOR
REGIÆ HAUNIENSIS UNIVERSITATIS
CHRISTIANUS OSTENFELD
Medicinæ Doctor & Professor Publicus

Lectori Salutem.



Uod in magnâ publicâq; calamitate accidere plerumque solet, ut damni gravitate perculsus dejectusq; animus, quid factu sit opus, non videat, neque quid primum agendum, quidvé omittendum, possit dignoscere; id evenisse comperimus octavâ ineuntis anni die, auditô lugubri nunciô de præmaturo à nobis discessu Viri omni honore & laude dignissimi, D. HENRICI FUIRENII, cujus vel ipsô commemoratô nomine excelsa quædam & præclara eruditionis virtutisq; species cogitationi audientium mentiq; occurrit. Etenim omnis ætas, ordo, sexus sentiebat multas gravesq; sibi esse lugendi causas. Egeni Sola-

Solatium; Viduæ Benefactorem; Ægroti Medicum; Literati Fautorem; Familia Ornamentum; Optimi quique pietatis, innocentiæ, candoris, prudentiæ, mansuetudinis, modestiæ, omniumq; virtutum perillustre exemplar seculo ereptum dolebant. Utinam ea nobis esset dicendi facultas, quæ laudibus ejus condignè enarrandis sufficeret, quâq; ille gratiâ universos Christianæ vitæ actus peregit, eâdem & nos facilitate possemus eximias ejus virtutes commendare posterorum memoriæ; Certè Medicum omnibus numeris absolutum, Civem cum cujus vitâ conjungebatur plurimorum salus, Virum in Patriæ commodum & ornamentum natum, describeremus. Nunc autem, quum tot ac tanta se ad scribendum offerant, ut ipsa copia difficultatem pariat; Et præclare factorum multitudo delectum non concedat; Cautius est religiosô ea silentiô venerari, quàm tenui atque confusâ narratione scribendi infantiam prodere. Quâ in re etiam optimè est à nobis meritus *Divinus Vir*, quòd inter pias meditationes, quibus ad instantem mortem se quotidiè præparabat, accuratam vitæ suæ narrationem, propriâ manu conscriptam, nobis reliquerit. Quam totidem verbis heîc referemus.

HENRICUS FUIREN

Anno cIↃ IↃ CXIV, 28. Maji, nascitur Hafniæ, Parentibus GEORGIO FUIREN, Medicinæ Doctore, & MARGARETA FINCKE. 2. Junii in æde D. Nicolai dicatâ baptizatur. Crescente ætate, primùm in Paternis, postea in Viri Clarissimi, Doct. CASPARI BARTHOLINI ædibus, à Præceptoribus domesticis artium liberalium haurit fundamenta. Anno CIↃ IↃC XXIIX, 9. Junii civitate Academicâ donatur à Decano

no Spectabili M. JOHANNE ERASMIO BROCHMAND; Magnifico tunc temporis Rectore Academiæ Hafnienſis, Doct. OLAO WORMIO; Et privatum Præceptorem elegit Avum Maternum, Doct. THOMAM FINCHIUM. Poſt ſemiannum, & Patre, & Avo Paterno orbatur. Anno cIↄ Iↄc xxix, 31 Julii, ſæviente in Pariâ peſtifera lue, *Soram*, locum Viro Cl. Doct. *Caſparo Bartholino* tunc temporis lethalem, ſe confert; Ubi binos ſaltem transegit menſes. Poſt dyſenteriam namque periculoſiſſimam, quâ ibi laboraverat, ad ſuos redit; Studiisq; prioribus Medicinam adjungere cœpit. Anno cIↄ Iↄc xxxiii, 24. Auguſti, jactis jam ſtudiorum fundamentis, exteros inviſurus, *Lugdunenſes* in *Batavia*, 15. Octobris, ſalutat Muſas. Receptus autem in album Studioſorum, Medico ſtudio, cui ſe totum dicaverat, Mathematicum, tanquam πάρεργον, per biennium adjungit; Cujus initia ab Avo Materno, Doct. THOMA FINCKIO, & ab Avunculo, M. JACOBO FINCKE, in Patria guſtaverat. Geniô tamen aliud ſuadente, Medicinam ſolam in poſterum excolendam ſibi propoſuit, tam publicis, quàm privatis Profeſſorum lectionibus & exercitiis. Excellentiſſimum igitur *Joannem Walæum*, Virum induſtrium & ingenioſiſſimum, inter primos, tanquam manuductorem ſummum habuit. *Adrianum Falckenburgium*, ac *Othonem Heurnium*, in Anatomicis; *Adolphum Vorſtium*, in Botanicis, Præceptores coluit. Tempus feriarum Academicarum in viſitandis ceteris *Belgii* tum Provinciis, tum Civitatibus impendit. Anno cIↄ Iↄc xxxv, ſeceſſum in *Friſiam* meditatur ob peſtem *Lugduni Batavorum*, vehementiſſimè ſævientem, Ne fratrem ſuum THOMAM FUIREN, qui nuper *Amſtelrodamum* appulerat, in periculum ab aëre infecto duceret, qui meli-

meliori aſſuetus erat. 26 Octobris igitur *Franequeram* cum Fratre ingreſſus, trimeſtre ibi conſumpſit ſpatium; Non ſine Popularium quorundam importunâ moleſtiâ; a quorum converſatione vita eorundem vitiis ſatis dedita eum deterruit. Sedatâ lue, 25. Januarji, anni ſequentis, *Lugdunum* cum Fratre redit. Exactô denuo ibidem fere bienniô, 5 ſcil. Octobris clↄ lↄc xxxvii, poſt quatuor annorum in *Belgio* moram, iter in *Galliam* cum Achate ſuo ſuſcipit. Quò, paucis interpoſitis diebus, pervenit, *Lutetiamq́; Pariſiorum* ſalutat; Ubi Anatomicum ſtudium, *Lugduni Batavorum* cœptum, tum publicis, tum privatis continuat exercitiis; diſputationibus Medicis rarò neglectis. Tempore verò æſtivô, ceſſante ſcil. Facultate Medicâ ab exercitiis publicis, excurſiones facit *Bituriges* & *Aureliam* verſus, ac ad reliqvas *Ligeri* adjacentes civitates. Quibus perluſtratis, *Lutetiam* redit; Cœptaq́; ſequenti hyeme, pari tramite, continuat ſtudia. Annum cum dimidiô in *Galliâ* hâc ratione cum transegiſſet, 15 Aprilis, clↄ lↄc xxxix, iter in *Italiam* cum Fratre ingreſſurus, *Monspeſſulum*, celebre hactenus Hygieiæ habitaculum, priùs inviſendum ſtatuit. Perluſtratis itaque, quæ in itinere occurrebant civitatibus, *Novioduno* ſcil. *Lugduno*, *Valentia*, *Arauſione*, *Avenione*, & *Nemauſo*, eò tandem qvum perveniſſet, ne inſalutatis Medicinæ anteſignanis diſcederet, amicitiam ſibi tum *Ranchini*, Medici ſcriptis clariſſimi, Academiæq; Cancellarii; Tum *Bellovali*, Botanici præſtantiſſimi, conciliavit. Horum tamen familiaritate diu frui itineris vetuit ratio. *Maſſiliam* igitur, poſt aliquot dierum intervallum, viſis priùs *Arelate* & *Aquis Sextiis*, qvum appuliſſet; iter terreſtre Cannam verſus continuat. Ubi ſcaphæ ſe committens, *Liguſticum mare* tranſit, moxq́; *Genuam* ſalutat. Ubi aliquot dierum ſpaci-

um emensus, itineri denuo se accingit, quô per ***Liburnum***, ***Pisas***, ***Florentiam***, ***Bononiam***, & ***Rhodigium*** factô, ***Patavium*** tandem, tanquam itineris metam, 9. Junii, ingreditur. Cujus loci genius adeò arrisit, ut sex annos, quibus ibi commoratus, minimè sufficisse autumaret; Nec illinc discessisset, nisi amicorum vota pondus apud ipsum habuissent. Ibi namque vix quidquam desideratur, quod Medico futuro opus est, sive Theoriam, sive Praxin, idq; vel privatis, vel publicis exercitiis, desideres. Anatomica nunqvam majori fervore tractavit, quàm ibi. Non contentus enim publicis Cl. *Veslingii* dissectionibus, privatis etiam in ædibus, imò in valetudinario Patavino manum operi adhibuit, viam monstrante Anatomicô laboriosissimô, Cl. *Joanne Leoniceno.* Tempore æstivô, non solùm *Veslingium* in horto Academico docentem audivit; Sed ejus comes factus, *Alpes*, plantarum amore, plus quàm unâ visitavit vice. In ægris invisendis Cl. *Joann. Dominicus Sala* coryphæus ipsi per biennium fuit. Interea tamen, cessantibus scil. publicis exercitiis, anno clↄ lↄc xxxxi, 3 Septembris, *Romam*, *Neapolin*, reliquasq; *Italiæ* civitates invisurus, *Patavium* per trimestre spacium linquit; quod in accuratiori perlustratione *Ferrariæ*, *Bononiæ*, *Ravennæ*, *Arimini*, *Pisauri*, *Anconæ*, *Domus Lauretanæ*, *Maceratæ*, *Romæ*, *Neapolis*, locorumq; illi vicinorum, *Senæ*, *Florentiæ*, *Pisarum*, *Lucæ*, *Pistoriæ*, consumpsit; non sine antiquitatum, rerumq; naturalium admiratione. *Patavium* 10 Novembris reversus, ad solita etiam redit exercitia; Quibus ad 10 usque Junii, anni clↄ lↄc xlv, invigilat. Hôc namque die, iter *Basileam* versus incipit, cum Fratre suo THEODORO FUIREN, & Consobrinô THOMA BARTHOLINO; Mæstus tamen, quòd inter plures, quibus valedicendum erat, & ***Joannem Rhodium***,

dium, Civem & amicum ſuum non uno nomine colendum, relinquere oportuerit. Itinere igitur per *Parmam*, *Placentiam*, *Mediolanum*, *Helvetiæq;* aliquot civitates factô, *Baſileam* 28 Junii ingreditur. Ubi Medicæ Facultatis Proceres, poſt quatuor menſium moram, non ſolùm Laureâ Appollinari eum decorarunt, Promotore Viro Cl. *Joann. Caſparo Bauhino*; Sed etiam inter Collegas Facultatis Medicæ Baſileenſis numerandum receperunt. Hiſce, cum Conſobrino Doct. THOMA BARTHOLINO, macte honoribus in *Galliam* denuo tendit; qvum iter per *Germaniam* militum turba, utpote quibus lex eſt in armis, diſſuaderet. Relictâ igitur *Baſileâ*, 4 Novembris, *Solodurum*, *Bernam*, *Genevam*, *Lugdunum*, & *Aureliam* tranſiens, *Lutetiam* 7. Decembris ingreditur. Ubi tempus hybernum, tum Anatomicis demonſtrationibus, tum diſputationibus Medicicis auſcultandis conſumit, ad octavum uſque Februarii diem anni ſequentis. Illinc namque diſcedens, ad *Caletum* portum ſe confert; Hincq; in *Hollandiam* tendens, *Fliſingam* appulit; Moxq; peragrata *Zelandiâ*, *Lugdunum Batavorum* 2. Martii redit; lætus quòd, quos olim Præceptores habuerat, omnes adhuc ſanos inveniret. Quorum familiaritate uſus ad 2. Auguſti uſque, transactâ ſcil. apud eos totâ propemodum æſtate, reditum in Patriam meditatur. *Amſtelredamum* igitur ſe confert, ubi ſuppellectilis ſuæ in Patriam mittendæ cura eum per octiduum detinuit. Expeditus ab his negotiis, itinere terreſtri per *Friſiam utramque*, per *Epiſcopatum Bremenſem*, per *ditionem* H*amburgenſium*, ac per *Holſatiam* factô, 30 Septembris, Paternos, quos tredecim Annorum ſpacio non viderat, ſalutat Penates. Atque hæc ex Defuncti manuſcripto deſumta in publicum conſpectum protulimus; tantò quidem libentiùs, quod iis nihil pu-

 rius,

rius, nihil ab affectato ſermone alienius. Utinam Sanctiſſimum Virum, qui, quæ optari à quoquam poſſunt virtutis inſtrumenta, ſumma habuit omnia, nobis non abſtuliſſet irata peccatis noſtris Divina Juſtitia. Ex iis Parentibus ortum ducebat, apud quos nihil unquam inventum, quod reprehendi jure poſſit. Abfuit ſemper ab eâ domo deſidia, luxuria, improbitas, & quidquid vitiorum nomine efferri poteſt. Eluxit frugalitas, pudor, ſimplicitas, temperantia, caſtitas, fides. Viguit ibi, ut de *Apij cœci* domo dictum olim legimus, mos Patrius & diſciplina. Iſtâ ſanctitate ad laudabilia Majorum inſtituta educatus, & probatiſſimis moribus imbutus tenellus animus, ita ingenio doctrinam, doctrinâ ætatem vicit, ut quarto decimô ætatis annô digniſſimus fuerit judicatus, qui Academicorum Civium privilegiis donaretur. Mox luculentiùs cœpit ſe exſerere illud ſummorum Medicorum *Fuirenio-Finckianum* ſemen, quod felici conjugiô junctum defuncto noſtro in naturam venerat. Unde qvum in Medicinæ ſtudio omnes ingenii, ætatis & induſtriæ nervos collocaſſet, mirâ docilitate penitiſſima Divinæ Artis arcana penetravit. Perſpecti porrò magis magisq; innocentiſſimi mores, & audita ſumma eruditio celebre atque illuſtre ipſi nomen reddiderunt. Hinc factum, quòd *Patavii*, conſentientibus inclytæ Germanicæ Nationis votis, tum Bibliothecarii, tum Conſiliarii munia, ipſi ſint commiſſa; Quibus ita præfuit, ut univerſa natio, ob benè geſtam Rempublicam, ſummis eum honoribus ſit proſequuta. Virtutes, quibus omnium ora atque oculos in ſe convertit, tam eximiæ ſunt, ut qui eas ſibi velit laudandas ſuſcipere, magnitudine & ſplendore oppreſſus, cogatur ingenii ſui tenuitatem fateri. Etenim, quæ parva ſunt & vulgaria, ſub ſtili acumen facilè cadunt; qvum magna & ſingularia

ria oratoris ingenium obruant. Et quemadmodum in cæteris virtutibus plerosque mortales antecessit, ita in beneficentia, quâ ad DEUM homines maximè accedere *Pythagoræ* dicebantur, se ipse superavit. Etenim, ut nihil dicamus de liberalitate erga pauperes, quæ ipsi erat quotidie in usu; magnam pecuniæ summam, cujus usuram quotannis distribui voluit, tum iis qui cum rei familiaris penuriâ conflictantur, quosq; morbus lecto detinet; Tum nautis, qui in operâ, pro Rege & Patriâ, susceptâ membris mutilantur, legavit. Etiam immensam, & nunquam satis deprædicandam iniit ab Ecclesia & à Regia hac Universitate gratiam, dum egenis juvenibus, qui in Scholâ Deiparæ Virginis se studiis consecrârunt; Et Studiosis inopiâ pressis; Tum duobus templis, quorum alterum à D. Nicolao, alterum concionalibus Studiosorum exercitiis dicatum à Sacrosancta Trinitate habet nomen; Et pauperum Sacerdotum viduis in Selandicâ Diœcesi cœlibem vitam agentibus, ingentem pecuniam legavit; Et Academico Sub-Bibliothecario annui stipendii augmentum dedit. Præterea Regiæ huic Universitati Bibliothecam, quam habuit magnâ omnis generis librorum copiâ ornatissimam, donavit; Ut & universum thesaurum mineralium, fossilium, rerumq; naturalium, quas propter raritatem paucis cognitas aut visas ipse, quâ erat in re Medicâ singulari scientiâ, summô studiô, magnôq; precio conquisiverat. Etiam in testamento voluit, ut *Museum Anatomicum* aliquot centenis Imperialibus frueretur. Cui jam ante complures annos dono dederat *Tabulas Anatomicas*, stupendæ artis opus, à se concinnatus; in quibus omnes humani corporis nervi, venæ, arteriæ, homini cuidam olim vitalia, cernuntur tam subtiliter affixa, ut non sine summa admiratione spectari possint; tamq; ar-

tificiosè, æmulante naturam arte, elaborata, ut à putredine corruptio iis afferri vix possit. Donum sanè quod tantò digniori in precio habendum quantò majori cum studio est compositum, cuiq; simile nullum aliud in Septentrione unquam visum, neque in *Galliis*, *Germania*, *Belgio*, ostendi potest. Hæc singularis & propè incredibilis munificentia tanta est, ut à dicendi Magistris extolli dignè nequeat, eamq; summis laudibus multò superiorem esse fateatur ipsa eloquentia. Ex hisce virtutibus quamvis nullam laudem sibi tributam voluit Cœlestissimus Defunctus, qui solo Divinæ gloriæ amore, veràq; erga proximum charitate in omnibus actibus ferebatur, nihilq; aliud quærebat, quàm benè pièq; factorum conscientiam; Tamen qvum æternam animi gratitudinem mereantur tam stupenda beneficia, ad omnis posteritatis memoriam propagari debet singularis ejus & inaudita munificentia. Luctatus jam erat per aliquot annos Divinus Vir cum infirmiore valetudine; Quæ, quamvis debilitata aliquo tempore & suppressâ videbatur, tamen, quod nullâ aut vitæ ratione, aut medicamentorum vi repelli posset, vivendi finem attulit. Neque ad tollendum morbum ulli labori pepercit Vir Experientissimus, D. PAULUS MOTH, Regiæ Aulæ Medicus; quem Defunctus noster, ut olim Præceptorem, ita nunc amicum conjunctissimum, omni honoris genere prosequebatur. Infirmitatem ferebat summâ cum animi tranquillitate, atque Divino Beneplacito voluntatem suam subjiciens, postquam à Religiosissimo Viro, M. JOHANNE ENV. BROCHMAND, impetratâ peccatorum remissione, esset salutari Servatoris Corporis & Sangvinis Sacramento refectus, supplex precabatur, ut, si diuturnum esse juberet hunc morbum

Divina Majeſtas, ſimul patientiam usque ad extremum ſpiritum largiri dignaretur. Mox exauditus, absque omni doloris ſenſu, octavô Januarii die, animam Servatori tradidit, quæ annos quatuor & quadraginta, menſes ſeptem, dies decem, erat in terreno corpore peregrinata. Vos Cives Academici, quod Divini Defuncti, Matris, Fratris, Sororis, Familiæ, Amicorum æterna merita jure quodam ſuô à vobis poſſunt exigere, tam Cœleſtis Viri, in quo omnis ætas, omnisq; ordo habet quod ſibi ad imitandum proponat, funus hodie horâ primâ, ſummâ cum frequentiâ deducite, & gratam beneficiorum memoriam, debitamq; immenſis meritis reverentiam, dum vita ſupereſt, declarate. Valete, peregrinationis veſtræ memores. P. P. Hauniæ, Feriâ ſextâ, XIX Kal. Febr. Anno Æræ CHR. cIↃ IↃC LIX.

Sub Rectoralis OfficI Sigillo.

TH. BAR-

TH. BARTHOLINI
Epigrammata
In Obitum
D. D. Henrici Fuiren.

I.
In Bibliothecam & Musæum Rariorum D. Fuirenii.



Ublica dum vitæ surgunt monumenta futuræ,
Atq; per immensum Bibliotheca patet:
Dumq; ad præclaros currit Natura penates,
Quicquid hic augustus, qua patet, orbis habet;
FUIREN, delicium gentis, dum vindicat ægros,
Immemor heic artis jam perit ille suæ.
Sancta tamen pietas, profugi reverentia recti
Vivit, & æternum quod veneremur erit.

Dum

Dum fuerint ægri, dum ſe Natura fatetur,
Dum Dominum agnoſcit Bibliotheca ſuum.

II.

In tabellas venarum, Arteriarum & Nervorum D. Fuirenii.

Mortua nervoſas depingunt fila tabellas,
Atque peregrino corpore vena fluit.
Frigida ſed torpent vitali priva calore,
Deſtituit nervos ſpiritus, aura fibras.
Tandem ex FUIRENIO *ſurgit decus, atq; tabellis*
Surgit honor, ſiccis jam ſua vita redit.

III.

De iisdem vaſis ex uno cadavere excißis, & quatuor tabulis illitis.

Unus eram, nunc plura replent mihi viſcera lignum,
Atq; novos lambit vena quaterna ſinus.
Dum fuerant vitæ nexu conjuncta, cadebant;
Heic exſucca vigent corpora, fluxa manent.

IV.

De D. Fuirenio in urbis obſidione defuncto.

Dum patriæ obſeſſos cingunt infenſa penates
Signa, per inſolitas exitioſa vias,
Non potuit clauſos urbis perferre receſſus
Aſſuetus cœlo liberiore frui.
Mutat mente domos, urbisq; & pectoris orbem
Deſerit, auxilio Numinis alta petens.
Sic licet hoſtiles includant mœnia turmæ,
Claudere nulla animos vis inimica poteſt.

V.

De eodem circa anni initium denato.

Iratus vitiis, perituro infenſior ævo,
Faſtidit noſtros connumerare dies.
Anni principium nobis fecére Calendæ,
Olli, cui ſpirant ſecula, finis erant.

Epi-

VI.
Epitaphium.

VIATOR QVI TRANSIS
HENRICUM FUIREN
FAMILIÆ DECUS
SOLATIUM ÆGRORUM
NOBISCUM DEPLORA LACHRYMIS.
QVI
LONGIS ANNORUM PEREGRINATIONIBUS
ANIMO SEMPER QVIETUS
VITA EXPRESSIT QVOD FAMÆ FUGA
NOLUIT ELOQVI
CLARUS ERUDITIONE QVAM OCCULTAVIT MODESTIA
QVUM NIHIL OSTENTARET OMNIA POSSEDIT
VIRTUTEM SOLAM DISSIMULARE
NESCIUS ET CANDOREM
DUM PATRIÆ DUM AMICIS DUM EGENIS
VIXIT
QVI PER ILLUM SEMPER VIVUNT
DUM MORITUR PER NATURAM PER MERITA VIVIT
PER DEVM QVEM COLVIT

CUM

CUM DEO VIVIT IN ÆTERNITATE.
VIXIT HACTENUS INTER MORTALES
ANN. XLIV. MENS. VII. DIES X.
PERPETUA APUD PLURES
FAMA SUPERSTES.
ABI VIATOR
ET
MORTUO LEVEM
QVÆ VIVO GRAVIS
PRECARE TERRAM.

VII.
In Catalogum Bibliothecæ Fuirenianæ.

Librorum titulos defuncti pagina monstrat,
Vera sed in vivo Bibliotheca fuit.



37

38

1_6_242